

## Universitätsbibliothek Paderborn

**EXERCITIA || SPIRITVALIA || IGNATII DE || Loyola.||**

**Ignacio <de Loyola>**

**Mogvntiae, 1600**

**VD16 I 56**

Tres modi humilitatis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45165**

**T**ertio: quod antequam electio-  
num materiam aggrediamur, ut  
ad capessendam germanam C H R I-  
S T I doctrinam affectum nostrum  
disponamus, apprime iuuat conside-  
rare, ac per diem totum reuoluere  
identidem tres sequentes modos hu-  
militatis; nec non colloquia dicen-  
da, crebro agitare.

**P**rimus humilitatis modus hic est,  
ad salutem necessarius, ut me pe-  
nituit subdam diuinæ legi obseruan-  
dæ: vtque ne inundi quidem totius  
oblato mihi dominio, vel extremo  
vitæ discrimine obiecto, transgre-  
diar ex deliberato, mandatum vl-  
lum diuinum, aut humanum, quod  
quidem peccati mortalis vinculo  
nos obliget.

**S**ecundus, maioris est perfectionis;  
vt fixo animo ad diuitias, pauper-  
tatem, honorem, ignominiam; bre-  
uitatem vitæ, ac longitudinem; æque

sim pro-

sum propensus, vbi æqualis est diuinæ laudis, & salutis meæ occasio. Utque, nulla, vel humanæ quantæcunque fœlicitatis, vel propriæ mortis conditione proposita; adducar unquam, vt culpam, licet venialem tantum, decernam admittere.

**T**ertius est modus humilitatis absolutissimæ; vt priores duos iam adeptus, etiam si nullo superaddito, laus D E I par foret, ad maiorem tam en imitationem CHRISTI, eligam potius cum eo paupere, spreto, & illuso; pauperiem, contemptum, & insipientiæ titulum amplecti, quam opes, honores, & sapientiæ aestimationem. Porro ad gradum hunc humilitatis attingendum, magnum afferet compendium, triplicis colloquij precedentis de vexillis usus, per quod suppliciter poscamus ( si diuinæ placeat benignitati ) ad talem perduci electionem; siue maior, siue æqualis

E s obse-

obsequij mei erga D E V M , & gloriae  
diuinæ prouentus subsit.

*Præludium ad electionem fa-  
ciendam.*

**A**D bene quipiam eligendum,  
nostræ sunt partes, ut oculo pu-  
ro, ac simplici spectemus, quorsum  
fuerimus creati:nimirum ad laudem  
D E I , & salutem nostram. Quapro-  
pter eligenda sunt ea tantum, quæ  
conducunt ad dictum finem ; cum  
vbique, fini medium, non medio fi-  
nis habeat subordinari : vnde errant,  
qui vxorem ducere primitus, aut Ec-  
clesiasticum munus, seu beneficium  
adipisci statuūt, atq; ita demum Deo  
postea inferuire; vtentes præpostere  
fine ; ac medionec ad D E V M tenden-  
tes recta, sed oblique ipsum ad per-  
uersa vota sua pertrahere conantes.  
Atqui è contrario plane agendum  
est: proposito primum diuino cultu,

tan-